

strandam eligere digniorem. Neque hinc aliquid positivi concilium statuit, aut Episcopo injungit, sed obligationem ex jure etiam naturali profertem proponit; & servare mandat.

VIII. Dicendo autem, *quem magis idoneum* JUDICAVIT, significat, iudicium de maiore idoneitate inter approbatos ab examinatore, relinqui Episcopo; ita nimirum, ut Episcopus praelegendo ex humano affectu minus dignum postposito *digniorem* graviter quidem peccet; sed tamen ipsa electio in foro externo impugnari nequeat; quemadmodum generaliter de electione *minus digni* omilfo digniore docent post S. Thomam communiter Theologi & Canonistae; de quo latius infra, ubi de vitanda acceptatione personarum in Beneficiorum collatione agetur.

IX. Unde notat Fagnanus ad *Cap. EAM TE* & *De aetate & qual. Ordinaria. num. 26.* quod licet aliquando in Rota resolutum fuerit, quod a reprobatione examinatorum detur appellatio devolutiva; "tamen non potest Postpositus ab *irrationabili* iudicio Episcopi appellare in *vim Concilii*."

X. Addit expressè hæc verba in *vim Concilii* nam post concilium supervenit constitutio Pii V. quae incipit *In conferendis* in qua §. 7. decernitur: "Ut autem non solum dignis, sed *magis idoneis* reperitis; juxta ejusdem Concilii Decretum Parochiales Ecclesiae conferantur; Volumus, & decernimus quod si Episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit. possunt si, qui rejecti fuerint, a mala electione hujusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad vicarium Ordinarium, uti Nosstrum, & Sedis hujusmodi delegatum, aut aliam ad ipsam Sedem Apostolicam appellatam, ac praelectum ad novum examen coram ipso appellationis Iudice, & ejus examinatore provocare. Et contentio de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque revocato; Parochialis magis idoneo per eundem Iudicem appellationis auctoritate nostrâ (quatenus collatio ad Episcopum, a quo appellatum fuit, spectaret) contestantur, alias eidem magis idoneo per Iudicem appellationis approbato conferenda, remittatur ad eum ad quem collatio provisio, vel institutio spectabit. Hæc tamen appellatio interposita interim non impediat, aut suspendat quominus electio per Ordinarium primo loco facta interim debite demandetur executioni; & provisus ab eadem Ecclesia causâ appellationis hujusmodi pendente non amoveatur. Et si quis a sententia per Iudicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad Sedem ipsam Apostolicam appellabit."

XI. In vim hujus constitutionis posse rejectum ab irrationabili Episcopi iudicio appellare, saltem quoad effectum devolutivum, satis apparet manifestum; & notant passim recentiores Canonistae, qui hujus constitutionis meminere, dicuntque, neque postpositum debere ante introductam appellationem per aliqua *nova* documenta probare, Episcopi iudicium fuisse irrationabile; si id probetur per *novum* examen, aut aliunde coram *iudice appellat* ont; uti late probat Fagnanus loco jam citato; aliterque sapius à Sacra congregatione, & Rota Romana ita decisum fuisse.

XII. Monet tamen Fagnanus ibidem *num. 39.* quod etsi ad obtinendum *novum* examen in iudicio appellationis, non sit necesse, ut *primo* constet de *irrationabili* iudicio, nihilominus S. Congregatio non contineat novum examen decernere, nisi dato aliquo *fumo irrationabilitatis* & malæ praelectionis Episcopi. Deinde nonnullis interpositis refert, die 21. Febr. 1612. censuisse S. Congregationem, concursum novum in Urbe institutum, ubi orator de veritate narratorum dederit fumum, id est postquam per attestaciones extrajudiciales, vel alia uniformia documenta de hujusmodi suspitione, & gravamine aliqualem fecerit fidem, ut sic probabilis, & sufficiens causa eum excuset à calumnia.

Sanè nisi hæc cautio adhibeatur; sed indifferenter appel-

latio ab electione Episcopi, tamquam irrationabiliter facta admittatur, rarissimus; aut penè nullus instituetur concursus, qui non litibus & quaestionibus; non sine gravi animarum dispendio, subiacet.

XIII. Cum vero hisce inditionibus concursus instituitur ex præscripto Concilii Tridentini, neque constet, constitutionem Pii V. hæc tamen hic receptam, & juxta modum in Belgio usitatum legitime publicatam; non solent quoque ab electione Episcopi appellationes interponi; neque facile eas Episcopi admitterent; inhærentes Concilio Tridentino danti auctoritatem Episcopo eligendi ex approbatis ab examinatore, *quem ceteris magis idoneum judicaverit*, scilicet ipse Episcopus.

XIV. Quinimo cum Concilium iudicium de *magis idoneo* detulerit Episcopo, non apparet, quod in hac electione, sive iudicio ipse dependeat à iudicio & suffragio examinatorum; ut si ipsi examinatores inter examinatos *ordinem* servassent, exprimendo quos præ aliis judicaverint tamquam magis idoneos esse præferendos, Episcopus deberet hunc ordinem servare: sed posset, hoc ordine neglecto, eligere quem ipse ceteris magis idoneum iudicat; idque etiam iuste ac licite, si ex particularibus informationibus noverit, illum revera præ hoc ad vacantem Ecclesiam esse magis idoneum. Si autem ex humano aliquo affectu minus idoneum magis idoneo prælegat, electio quidem illicita erit in foro poli, graviterque coram Deo culpabilis erit Episcopus; sed in foro fori valida erit; & ita habet praxis quotidiana.

XV. Hæc tamen eligendi libertas à Concilio Episcopis data restringitur ad eos, qui examine peracto ab examinatore *idonei* iudicati fuerint ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam administrandam opportunis. Nam postquam dixit, quotquot *idonei* sunt, peracto examine esse renuntiandos, in mediâ subiungit: Ex hisque Episcopus *eligat* &c. manifestè significans, *ex his* qui tamquam idonei renuntiati sunt, ab Episcopo eligendum illum, quem *ex his* magis idoneum iudicaverit. Unde ex omnium Canonistarum sententia, non licet Episcopo eligere illum, quem examinatores, aut eorum major pars *in idoneum* iudicaverunt; tamen si ipse iudicet ex particularibus informationibus, hunc esse idoneum; jure iudicium de idoneitate ipsis examinatorebus Synodalibus & juratis à Concilio Tridentino delatum est: ipsi verò Episcopo tantum suffragio decisivo in paritate concessio.

XVI. Postquam ex renuntiatis ab examinatore tamquam idoneis ad vacantem Ecclesiam administrandam, Episcopus elegerit quem ceteris magis idoneum iudicaverit, tum vult Concilium: "ut illi & non alteri, collatio Ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre."

XVII. Hinc struunt Canonistae, quod si Ecclesia vacans sit *ex reservatis* Sedi Apostolicæ, aut vacet in mensè *reservato*, Episcopus quidem possit instituire concursum; & ex renuntiatis idoneis eligere quem ceteris magis idoneum iudicaverit; sed quod debeat ipse electus à Pontifice collationem accipere; atque ita vi Concilii Trid. eatenus quidem esse reservationem sublatam, quod ea non obstante concursus institui queat; sed tamen collatio examinato, & ab Episcopo tamquam magis idoneo electo faciendâ sit ab ipso Pontifice, ad quem titulo reservationis collatio spectat. Et ita declaravit Pius V. in sæpe citata Constitutione in verbis: *Electus nobis aut Successoribus nostris pro* COLLATIONE obtinenda, &c.

XVIII. Verùm quia pro obtinenda collatione à Romano Pontifice tempus subinde non modicum requiretur, incommodumque foret, tanto tempore Ecclesiam Parochialem vacare usum in hisce Provinciis invaluit, ut collatio etiam in reservatis fiat ab Episcopo; ipsaque reservatio, quoad Parochiales saltem, per concursum conferri solitas penitus censetur sublata, ac provideatur indifferenter, & eodem modo Ecclesiis Parochialibus reservatis & non reservatis: de quo usu testatur Zypæus in *Jure novo tit. De Elect.*

Elect. num. 15. & latius deducit, & à verbis Concilii diffonum non esse hunc usum contendit *Consult. 1. De Elect.*

XIX. Et hæc quidem tam circa electionem dignioris ex approbatis faciendam ab Episcopo, quam obtinendam collationem, præcedunt quoad Ecclesias Parochiales *libera* collationis; at si sint *juris patronatus Ecclesiastici*, tunc Concilium electionem subinde ad Patronum, interdum ad Episcopum spectare declarat.

XX. Si enim "instituto ad Episcopum, & non alium pertineat, is quem Patronus digniorem inter probatos ab examinatorebus iudicabit, Episcopo præferentare teneatur, ut ab eo instituitur. Cum verò institutio ab alio, quam ab Episcopo, erit faciendâ; tum Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præferet, ad quem institutio spectat." *Syn. Trid. Sess. 24. cap. 18. De Reformat.*

XXI. Institutio hic accipitur non pro institutione corporali seu missione in possessionem; sed pro institutione auctorizabili sive tituli collatione, & titulum Canonicum tribuit, de qua institutione loquitur regula juris dicens: "Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine *instituzione*, ne Canonica obtineri." *Cap. 1. De Regula Juris in 6.*

XXII. Unde si jus commune spectemus, Patroni Ecclesiastici potius, quam Episcopi esse, ex approbatis ab Examinatorebus eligere, quem ceteris magis idoneum ad vacantem Ecclesiam administrandam, iudicaverit; quia de jure *institutio* Canonica seu *auctorizabilis* ad Episcopum pertinet; præsertim in Beneficiis curatis: adeo ut nec de consuetudine ea Archidiacono competere posse videatur, *Cap. 4. De Officio Archid.* cuius hæc est rubrica: *Archidiaconus sine mandato Episcopi non committit curam animarum, id est, non habet institutionem AUTHORIZABILILEM* Et in *Cap. 7. eod.* tribuitur Archidiacono institutio non *auctorizabilis* seu tituli collativa; sed *corporalis*.

XXIII. Quapropter orta difficultate super jure eligendi magis idoneum ex approbatis in concursu inter Abbatem S. Vedasti & Episcopum Atrebatensem, iudicatum fuit per Concilium Privatium, Abbatem in vim hujus Decreti Concilii Tridentini competere electionem, non obstante quod Episcopus alleret, institutionem esse penes Archidiaconum. Hujus sententiæ meminit Zypæus in *Jure novo tit. De Instit. num. 5.* & integram refert Antonius Anselmo inter varia documenta concernentia bona & jurisdictionem Ecclesiasticam *pag. 28.* Notat autem Zypæus, Concilium Privatium per hanc sententiam, "tacite decidisse, institutionem vel administrationem vacantis Parochialis, quam Episcopus Archidiacono competere asserebat, non esse *tituli* collativam."

XXIV. Quin tamen institutio tituli collativa, seu *auctorizabilis* aliis quam Episcopis competere possit, evidenter supponit Concilium Tridentinum in verbis supra expressis: *Cum institutio AB ALIO, quam Episcopo erit faciendâ.* Quidni ergo & Archidiacono ex consuetudine aliòve titulo competere poterit? Quemadmodum ad aliquos Archidiaconos Belgicos, ac signanter Mechliniensem transfuit.

XXV. Neque citatum Capitulum quartum loquitur de hac institutione tituli collativa; sed de *cura animarum*: hancque Archidiaconum dare non posse sine licentiâ & mandato Episcopi prætextu consuetudinis, rescribitur ab Alexandro III.

Glossographus seu Rubricæ auctor, *cura animarum* & institutionem *auctorizabilem* pro synonymis accepit; eum tamen hæc sine illa dari queat; & Archidiaconi Belgici dantes institutionem auctorizabilem, institutum pro *cura animarum* ad Episcopum remittunt. Similiter Nominatis Facultatis Artium in hac Lovaniensi Universitate vi Privilegii Apostolici, & vigore clausulæ *Ceterum* in procelu

fulminato super executione Bullæ Gregorii XIII. contentæ; datur collatio sive institutio tituli collativa à quocumque Clerico tamquam Sedis Apostolicæ Subdelegato; & tamen pro cura animarum adiri debet Episcopus. Quare Rubrica dicti Capituli quarti confundens *curam animarum* cum institutione *auctorizabili*, non consonat suo *nigro* de sola cura animarum loquenti.

XXVI. Competente autem per consuetudinem aliòve titulo institutione auctorizabili ipsi Archidiacono, quæri possit, an eo casu institutio *ad alium* quam Episcopum, ad mentem Concilii Tridentini, dicenda sit pertinere. Si Archidiacono competat ex sola delegatione Episcopi; ita ut instituendi auctoritas sit tantum *vicaria* ad nutum Episcopi revocabilis; videbitur institutio esse penes Episcopum, qui per Archidiaconum eam concedat; non secus atque curam animarum per suum Vicarium generalem.

XXVII. At si institutio auctorizabilis pertineat ad Archidiaconum *jure proprio* & independentem à delegatione Episcopi jure sui Archidiaconatus, tunc auctoritas instituendi conferetur Archidiacono *propria*; & consequenter ad alium, quam Episcopum spectare videbitur institutio. Quod enim Archidiaconus competit jure proprio sive jure dignitatis, non competit jure vicario, sed *ordinario*; æquè ac ea quæ aliis inferioribus Prælati aut Pastoribus jure suæ dignitatis, aut Beneficii competunt; quemadmodum supra *parte 1. tit. 12. cap. 1.* ostendimus; & consequenter nec hic eandem cum Episcopo personam constituere dicendi sunt. Quod & non obscure declaratur in *Cap. 3. De Appellat. in 6.* dum ibidem deciditur, ab Archidiaconis Suffraganeorum Archiepiscopi Remensis esse appellandum ad ipsos Suffraganeos, non ad Archiepiscopum; idque indubie, quia Archidiaconi jurisdictionem jure proprio exercentes, censentur habere tribunal distinctum à tribunali Episcopi: atque ita ab eodem ad eundem non appellabatur.

XXVIII. Non ergo sine fundamento, ubi institutio auctorizabilis competit Archidiacono præterunt Episcopi, competere sibi electionem magis idonei ex approbatis, quem Patronus ei præferet ad quem institutio spectat; nimirum Archidiacono: hocque jure hodie utitur Archiepiscopus Mechliniensis.

XXIX. Cum verò Episcopus teneatur unum eligere ex approbatis ab Examinatorebus Synodalibus, atque huic & non alteri collatio faciendâ sit; videtur hæc collatio potius *necessaria*, quam *libera*; eoque titulo Capitulum Sede vacante concursum ad Parochiales, etiam aliàs ad liberam collationem Episcopi spectantes, instituit & absolvit quod & suadet salus animarum, quæ ex diuturniore Ecclesiarum Parochialium vacatione non leve multoties detrimentum subit; & ita non semel à S. Congregatione declaratum esse testatur Garcias De Beneficiis *parte 9. cap. 2. num. 8.* & praxis quotidiana confirmat.

CAPUT V.

De Vicario seu Deservitore, Ecclesiæ Parochiali vacante, constituendo.

1. Synodus Trid. vult vacante Ecclesiâ Parochiali constitui Vicarium seu Deservitorem.
2. Hoc Decretum locum habet in Ecclesiâ Parochiali etiam concursus non subjecta.
3. An Episcopus semper debeat constituere Vicarium?
4. Semper Ecclesiâ vacanti providendum de Presbytero, qui curam ejus habeat.
5. Vicarius constituendus ab Examinatorebus Synodalibus probari non debet.
6. Etiam deputandus ab Episcopo in Ecclesiis ad aliorum collationem spectantibus.

7. *Etiā dignitatibus annexis.*
8. *Licet sint juris patronatus laici.*
9. *Episcopi est Vicario assignare portionem congruam ex proventibus Ecclesie vacantis.*
10. *Idque etiam si jus percipiendi proventus ad alium pertineat.*
11. *Hi, qui hoc jus habent, subinde plus sint solliciti de fructibus lucrands, quā de idoneo Vicario constituendo.*
12. *Vicarius succedit in functiones Pastorales.*
13. *Probat̄ur ex formula deputationis.*
14. *Non succedit in ea qua Pastoralia non sunt.*



I. Um sæpè contingat, non posse statim Ecclesie Parochiali vacante de idoneo Rectore provideri, præsertim si per formam concursus providendum sit, ne per eam moram populus Sacramentorum ac divini verbi necessario pabulo careat; atque ita salus animarum in discrimen veniat, Concilium Tridentinum præscribens formam concursus in Ecclesiarum Parochialium provisione servandam, statuit, quod "debeat Episcopus statim habitā notitiā vacationis Ecclesie, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione, constituere, qui onera ipsius Ecclesie sustineat, donec ei de Rectore providetur." *Sess. 24. cap. 18. De Reformat.*

II. Quamvis non omnes Ecclesie Parochiales subiaceant concursui, uti supra vidimus, nulla tamen est Ecclesia verè Parochialis, cujus adveniente vacatione non sit constitutus aut designandus quispiam, qui tempore vacationis, & donec de Rectore ei provideatur, curam Parochie habeat, & populo spiritualia administret; ne alias defectu Sacerdotis, & Deservitoris sive Vicarii populus Sacramentorum usū, aliisque ad salutem necessariis destituatur.

III. Quare clausula à Concilio addita, *si opus fuerit*, significat quidem relinqui arbitrio Episcopi, num idoneus aliquis Vicarius juxta formam ibidem expressam sit constituendus; sed nequaquam permittit Episcopo, relinquere Ecclesiam vacantem sine Presbytero, qui curam ejus agat, populoque Sacramenta aliāque ad salutem necessaria tribuat. Quid enim, si in eadem Parochia sint Vice-Pastores, qui Ecclesia vacante curam ejus habere possint; aut vicinus Parochus, qui ob exiguam quam regendam habet communitatem, sine magno incommodo possit vacantis Ecclesie curam habere, & populo necessaria administrare? Quidni tunc Episcopus subinde judicare poterit, novi Vicarii ad vacantem Ecclesiam regendam deputatione opus non esse; sed Vice-Pastoribus, aut vicino Parocho curam committi posse; atque ad hunc casum eam clausulam referendam esse monet Garcias De Benef. *parte 9. cap. 2. num. 13.* quamvis in rigore dici queat, hōc Vice-Pastores, aut Parochum vicinum per demandatam sibi curam Parochie vacantis constitui Vicarios seu Deservitores.

IV. Equidem illud certum est, Ecclesie vacanti statim à vacatione providendum esse de Presbytero, qui curam ejus suscipiat; adeo quidem, ut in casibus repentinis, & ubi Episcopus abest, possit ob periculum imminens, Capitulum aut Ecclesie vacantis Patronus Vicarium constituere, qui interim curam ejus agat; uti S. Congregationem declarasse testatur Garcias De Benef. *parte 9. Cap. 2. num. 11.* subiciens *num. 12.* hoc monitum: "Non tamen intelligas, quod Collegium isto casu possit dare jurisdictionem aliā, non habenti, & approbationem ad Sacramentum pœnitentiæ administrandum &c. sed solum potest illum ponere ad custodiam."

V. Deputationem & electionem Vicarii ad vacantem Ecclesiam Concilium defert Episcopo; neque in ejus assumptione examinatores Synodales audire debet; nec ab his Vicarius examinari aut probari; sed illum Episcopus deputare potest, quem ipse idoneum judicaverit.

VI. Hæcque deputatio Vicarii competit Episcopo tantum quoad Ecclesias suæ collationis; sed etiam ad aliorum collationem, electionem vel provisionem, etiam Sedis Apostolicæ vigore reservationis, spectantes. Imò licet Ecclesie vacantes non subiaceant concursui, nihilominus Episcopo earum vacatione occurrente constituendi Vicarium auctoritas competit.

VII. Quare vacante Dignitate in Ecclesia Cathedrali aut Collegiata cui annexa est Parochialis, Episcopus nominat ac deputat Vicarium, seu Deservitorem; quamvis ipsa Parochialis sic unita concursui non exponatur; uti notat Massobrius in Praxi habendi concursum *Requis. 1. Dubio 16.* qui & ibidem *Dubio 19.* resolvit, etiam in Ecclesiis unitis Capitulis deputandum esse per Episcopum idoneum Vicarium; tamen etiam Ecclesiis illis deserviretur per Vicarios dumtaxat amovibiles; tamen quoad usque de hujusmodi Vicario debet per Capitulum esse Ecclesiis vacantibus provisum, Episcopus nominare poterit Vicarium sive Deservitorem.

VIII. Similiter Ecclesie Patronatus laici, quin & Regii, quamvis à forma concursus exemptæ, ab Episcopis sine prævia Patroni aut Regis nominatione vel præsentatione, Vicarium seu Deservitorem accipiunt; qui curam Ecclesie vacantis habeat, donec de Rectore ei provideatur.

IX. Episcopi quoque arbitrio permittit Concilium, determinare portionem congruam Vicarii sustentationi necessariam; utique ex fructibus ipsius Ecclesie Parochialis vacantis. Dicit enim: "Cum congrua, ejus (Episcopi) arbitrio, fructuum portionis assignatione." Quibus fati indicat, ex fructibus Ecclesie vacantis, eam portionem esse assignandam.

X. Tamen enim fructus Ecclesiarum vacantium subinde ad domum mortuariam defuncti Pastoris, saltem pro certo tempore pertineant vel alii Archidiaconi jus percipiendi fructus vacantium Ecclesiarum (quod jus *deportus* vocant) habeant; imò aliquando Episcopi jure illo gaudeant, tamen semper jus illud intelligitur ad illos spectare, *de auctis oneribus*, inter quæ est hæc congrua portio Vicario seu Deservitori debita.

Unde cum in Diocesi Antverpiensī fructus vacantium Ecclesiarum spectent ad Episcopum; eoque nomine Episcopi administret Sigillifer, mandat Synodus sub Miræo *tit. 12. cap. 22.* ut idem Sigillifer debitis oneribus curet satisfieri.

XI. Ut autem hi ad quos jus percipiendi proventus Ecclesiarum vacantium devolvitur, majorem eorum partem suis utibus applicare queant, subinde, ubi possunt, vacationem Ecclesiarum protrahunt; vel Sacerdotes parum idoneos & mercenarios exigua portione contentos, vel Parochos vicinos, plus quam sufficienter oneratos, in Deservitores non sine notabili populi detrimento, nominant; suo proprio commodo magis, quam animarum salutem, & Ecclesie vacantis bono intenti; cum tamen proventus Ecclesiarum vacantium ipsis attribui hoc solo titulo soleant, quod vacantium Ecclesiarum curam habere debeant; quemadmodum videri potest apud auctores de jure *deportus* tractantes, qui omnes unanimiter ex cura seu custodia Ecclesiarum vacantium Archidiaconi incumbente, jus *deportus* Archidiaconi competere asserunt.

XII. Vicarius autem constitutus debet onera ipsius Ecclesie vacantis sustinere, uti loquitur Concilium Tridentinum; hoc est, subire onera Pastoralia; ipsique Ecclesie & populo in Pastoralibus deservire; unde Vicarius *Deservitor*, & Vicaria, dici solet *deservitoria*; tamquam qui omnia præstet, quæ ipse Parochus præstare deberet.

XIII. Hæc in litteris deputationis Vicarii sive Deservitoris, quarum forma extat apud Barbosam in appendice ad tractatum De Officio Episcopi *formula 56.* ita exprimitur: "Te Vicarium ipsius Ecclesie S. N. constituimus, & deputamus, cum auctoritate Missas, & alia Divina officia"

celebrandi, Sacramenta administrandi, & alias functiones Ecclesiasticas obeundi, ad quæ tenetur, & quæ animarum quilibet Rector, & administrator præstare & obire solet.

XIV. At si Pastoratui sive Beneficio Parochiali aliqua sint annexa, quæ nec curam animarum concernunt neque inter Pastorales functiones recenserentur, hæc ad Deservitorem seu Vicarium haud transeunt. Exempli gratiā, si Parochus vel Plebanus in Ecclesia Collegiata vel Cathedrali obtineat locum inter Canonicos vestemque Canonicalem & intret Capitulum, hæc Deservitori dari non solent; quia jure speciali Pastori deferuntur; neque Pastoralia sunt.

TITULUS XXIII.

De Mandatis & Reservationibus Apostolicis

CAPUT I.

Origo & progressus Mandatorum de providendo & Reservationum.

1. De quibus Mandatis hic agatur.
2. Mandata quare dicantur Expectativa?
3. Quid Reservatio Apostolica?
4. Reservatio alia specialis, alia generalis.
5. Mandatorum usus non fuit ante seculum 12.
6. Mandatis his usus fuit Alexander III.
7. Preces Pontificum tum temporis simul erant mandata.
8. Olim interdum dabantur Monitoria, Præceptorica, & Executoria, secus hodie.
9. Distinctio litterarum mentio in Decretalibus.
10. Pontifices Mandata dare volebant iis qui aliud Beneficium non habebant.
11. Dabantur Clericis sine titulo ordinatis.
12. Dicebantur in forma pauperum, vel in forma, cum secundum Apostolum.
13. Vocata etiam in forma communi; & quare?
14. Hujusmodi rescripta in Decretalibus occurrunt.
15. Ordinarius nonnumquam hinc Mandatis obsequi detredebant; & quare?
16. Sub initium seculi 13. frequentiora fuere hæc Mandata.
17. Non solebant Pontifices singulas Ecclesias plusquam uno mandato gravare.
18. Honorius III. per Nuntios suos petivit duas præbendas in Cathedralibus, & duas portiones in Cœnobiiis per Angliam & Galliam.
19. Prædebant Mandataris etiam Beneficia Patronatus laici; sed hæc Mandatis non comprehendit declaravit Gregorius IX.
20. Hæc interpretatio ubique obtinet.
21. De Mandatis & Reservationibus conquesti sunt Angli apud Innocentium IV.
22. Excusat Pontifex factas Reservationes; & pro parte tollit futuras.
23. Seculo 13. Ecclesia Canonicorum etiam in Belgica Mandatis & Expectativis multum gravata fuerunt.
24. Generalem Reservationem Beneficiorum apud S. Sedem vacantium primus fecit Clemens IV.
25. Hæc Reservatio dicitur clausa in Corpore Juris.
26. Baronum Gallie querela contra Bonifacium VIII de excessu Expectativarum; & ejus defensio.
27. Clemens V. Joannes XXII. & Benedictus XII. Reservationes ampliaverunt.
28. Quare in Gallia facilius tunc recepta.
29. Querela Regis Angliæ contra nimias Reservationes ad Clementem VI.
30. Pontifex Respondet non esse in potestate Regis Reservationes restringere.

31. Quare hæc auctoritas specialiter competat Ecclesie Romana.
32. Schisma Avenionense incrementum dedit Expectativis & Reservationibus.
33. De iis abrogandis actum in Concilio Constantiensi.
34. Quid decreverit Martinus V. & Eugenius IV.
35. Quid contra eas decretum in Concilio Basiliensi.
36. Decretum hoc receptum in Gallia; ac postmodum pro parte abrogatum.
37. In Germania Reservationes manserunt.
38. Quid in Belgio?
39. Post Concilium Basiliense Expectativarum usus in Italia; & de earum abolitione inter Cardinales deliberatum.



I. Mandata Apostolica, de quibus hic agere institimus, sunt mandata, quibus Papa de Beneficiis providendi mandat. Unde vulgò dicuntur, Mandata de Providendo.

II. Hæc mandata si sint ad vacationem, dicuntur etiam *Expectativa*; & quæ hujusmodi mandatum in sui favorem obtinuit, dicitur habere *Expectativam*. Hinc dicit Rebuffus in praxi *parte 1. tit. De Expectativis num. 1.* "Papa solet scribere ad Beneficia vacatura per Expectativas." Deinde *num. 3.* Expectativæ gratiæ sunt, ex quibus Beneficium impetrans expectat.

III. Aliquando Papa mandat providendi per reservationes aut Rebuffus ibidem titulo de Reservationibus; quando nimirum suæ dispositioni aliqua Beneficia vacatura reservat, cum inhibitione electoribus aut Collatoribus facta, ad eorum electionem vel collationem, vacatione adveniente procedendi sub pena nullitatis.

IV. Hæc reservationes aliæ sunt speciales, aliæ generales. Speciales sunt, quando certum aliquod Beneficium in individuo, vacaturum dispositioni Sedis Apostolicæ reservatur.

Generalis verò erit, si omnium regni, vel certi loci Beneficiorum, vel personarum, seu dignitatum fieret amplissima reservatio; qualis est omnis illa reservatio quæ dicitur *clausa* in Corpore Juris; item contenta in Regulis Cancellariæ, de quibus infra agetur.

V. Quo tempore Pontifices hinc mandatis & reservationibus uti cœperint, incertum est; illud equidem fat constat, mandatorum & expectativarum usum antiquiorem esse, quam reservationum saltem generalium.

Mandatorum autem Apostolicorum de providendo & Expectativarum initia referunt communiter Canonistæ ad seculum 12. scribitque Vir eruditus, & in Canonibus ac historiis admodum versatus Franciscus Florens, hanc mandatorum speciem non videri antiquiorem Alexandro III. quod & Rebuffus aliique passim tum veteres, tum recentiores Canonistæ annotarunt; unā monentes, nullam horum